



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Purgatorio

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XII. Sciri non posse, quomodo ignis corporeus animas vrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)

CAPVT XII.

Sciri non posse, quomodo ignis corporeus animas urat.

DE SECUNDO, verissima sententia est, non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream; id enim ingenuè confitetur Durandus in 4. dist. 44. quæst. vlt. & ante Durandum B. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 10. vbi dicit, animas torqueri ab igne miris, sed veris modis; & B. Gregorius, cum lib. 4. Dialogorum, cap. 29. dicit, ex igne visibili inuisibilem pœnam animas trahere; vocat enim inuisibilem pœnam, quia occulta & incognita est nobis. Sed licet non sciamus quomodo id fiat, posse tamē fieri, docet Augustinus ex alio simili; videmus enim animam incorpoream vniri corpori humano, & ei vitam dare, & cum illo simul gaudere & pati, cum tamen modus huius vnionis sit planè ineffabilis. Quis capiat, quomodo spiritus sit forma corporis, cum inter corpus & spiritum nulla sit proportio? Sicut ergo potest vniri spiritus carni, vt illi vitam communicaret, ita potest vniri spiritus igni, vt ab illo pœnam trahat, licet modus vnionis sit prorsus incognitus.

CAPVT XIII.

An in Purgatorio torqueantur animæ à Dæmonibus.

DE TERTIO dubio res est omnino incerta; nam quòd non torqueantur à Dæmonibus, nec ab Angelis, sed à solo igne, docent Scholastici, vt S. Thomas in 4. dist. 20. artic. 5. & rationem reddunt, quia omnes animæ Purgatorij in vltimo conflictu Diabolum superarunt, idè non decet iustitiam diuinam, vt sinat eas ab hoste deuicto vexari. Deinde, hîc in terris etiam perfectos viros Dæmones vexant, quia sperant se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas Purgatorij sciunt in gratia confirmatas non posse cadere, & vexationem illis necessariò profuturam.